IN SECUNDO

ad

LATINÆ LITERATURÆ CATHEDRAM

EXTEMPORALI CERTAMINE

QUOD IN REGIO PANORMITANO ATHENÆO

QUINT. ID. JUN. MDCCCXLIII

habitum est

CAJETANI DAITA

DISSERTATIO





PANORMI

EX REGALI TYPOGRAPHIA

MDCCCXLIII.

Primum verbale periculum Kalendis Juniis factum est, in quo thesis de Dramatica apud Romanos poesi sorte obtigit.

Decertantes

Nicolaus De Carlo — Josephus Fiorenza — Cajetanus Daita.

Caeteri abfuere.

THESIS



De Oratoribus latinis post Ciceronis obitum, quos Candidati conferant cum Oratoribus aetatis quae praecessit Graecorum literaria cum latinis commercia, caeterisque Oratoribus aetatis aureae. Hos inter praecipui notentur.



Universus Romanae eloquentiae per tempora prospectus.—Sub regibus. — Sub primo reipublicae statu. — Sub Decemviris ac Tribunis.— Post Graeciam cognitam. — Inter reipublicae pericula. — Sub imperio.— Post Christum renascitur.

Nihil equidem in magnifico Romanae literaturae spatio diversae temporum rationi variisque rerum discriminibus, ni fallor, publica magis quam Eloquentia respondet: quae sane legum impulsum, hominum studia, dominationum vitia, propriam veluti effigiem accuratis saeculorum perscrutationibus ostendit. Nulla ab initio, cum Romam Reges habuere, publice loquendi cura. — Regibus vix pulsis, gentem nondum cultam, cum armis rudis etiam eloquentia dominatur — dissidentibus ob legum disparitatem populi partibus, Romanae jurisprudentiae firmitati prospiciens, ingenuam sine artis subsidio eloquentiam promovet Decemviratus — laborante tum patriciorum plebisque factionibus republica, pene omnis in turbulentis tribunorum concionibus vis populi, in versatilibus Consulum, Primorumque ora-

tionibus Senatus potentia — naturale adhuc illud ac necessitate inductum orandi genus, Graecorum jam influentia excultum ditatumque, pulcherrima externae eloquentiae exemplaria aemulatur, sed arte haud imminutum cuncta reipublicae vestigia concitatius vehementius pone legit — quassatae libertatis motus perpessum, cadentem sequitur, una in praeceps ruit, una sepultum est: donec veluti illa (si fas vera falsis comparare) antiquorum phoenix suis ipsa cineribus exsurgens, divinae religionis instinctu, ad novam Christi fidem effundendam, non per urbem unam, ut prius, sed per terrarum orbem, nec ad corpora tantum humanaque jura tuenda , sed ad animarum libertatem vindicandam, verumque Dei cultum sartum tectum servandum, profanis Numinum aris solo aequatis, per Sanctissimorum Evangelii praeconum vocem, doctissimorumque Ecclesiae Patrum facundiam instauratur, Martyrum sanguine crescit, ac vero publicae Eloquentiae charactere instat, suadet, cogit, undique dominatur.

Eloquentia post Ciceronis obitum.—Oratorum illius aetatis historiam eloquentiae studium comitatur.—Inter dictaturam et Augusti imperium de eloquentiae statu discrimen.

Sed per tot tamque varios Eloquentiae casus illud praesertim tempus dignum quod vigili studio assiduaque investigatione exquiratur existimo, quod nem-

pe post Ciceronis obitum actum est: eo enim omnis oratoriae virtutis corruptio mihi referenda videtur, ut fere Romanorum Principis oratorum exitium latinae Eloquentiae ruinam maturasse dicatur. Ac cum artis Oratoriae statum illa aetate et fortuna tantum ab illo mutatum cernemus ad quem Marci Tullii vox ingeniumque perduxerant, caussas quae illam tam brevi tempore immutationem tulerunt diligenter observandas censeo. Ita Oratorum illius aetatis historiam, eloquentiae quae tum vigebat studium strictissime comitatur, ut dividi nequeat: nemo enim nomina tantum Oratorum, sed quam professi sint eloquentiam, an admiranda eorum ars, spernendave sit, quibusque caussis exquirere, in hac disserendi ratione operae pretium esse putabit.

Caesare conjuratorum manu interfecto, libertatem quam illius sanguine petierat, minime respublica est assecuta: regiae enim dominationis opus, quod dictatura inchoaverat, Octaviani ambitione consilioque absolutum Roma tandem formidavit; diversâ tamen viâ; nam Lucius Silla et Caesar seditionibus, civili bello; Augustus compositis partium studiis, pace concordiâque ad imperium contendit. Illis vero ad rerum summam nitentibus, inter arma, civiumque sanguinem respublica vocem in Senatu et in foro extollere non desiit, sub hujus ditione omnino quidem obmutuit. Ac si de Alexandro Grae-

ciae libertatem subjugante dictum est « Athenas tacere jubet, Lacedaemona servire », Augusti sane dominationi Romanae eloquentiae silentium est magnopere tribuendum.

Necdum re quidem vera post Julii mortem latina Eloquentia cesserat, et Brutus in Capitolio concitatam Orationem habuit, quam Cicero multum laudavit, et Tullius in ambitiosos Marci Antonii conatus, Octaviani liberalitati nimium credulus, vehementer locutus est. Sed Ciceronem triumviratus perdidit perfidia, Octaviusque, cum ejus inimicis infami foedere inito, reipublicae et eloquentiae exitium Tullii morte decrevit.

Postquam vero Actiaco praelio Marci Antonii viribus profligatis solusregna re assuevit, diuturna pace, beneficentia, humanitate, literas ingenuasque artes summopere fovendo, Octaviani crimina Augustus omnium memoria delere conatus est, poesim maxime poetasque protegere maluit, quae quidem ars et animis molliendis, suaeque potentiae collaudandae opportunior ei visa est. Nec immutata reipublicae facies quidquam poeticae culturae attulit detrimenti; contra autem, Augusti imperio, carminibus faustius aptiusque, Romae numquam ullum fuit.

Publicae eloquentiae vero non modo incrementum non obtulit, verum ut supra dictum est, vim materiamque temporum abstulit conditio. Ac si pu-

blicarum rerum adspectum profunda Augusti calliditas omnino non immutavit, nomine verum solo, non vetustis populi institutis Senatusque majestate respublica valebat: si quidem omne jus in unius arbitrium ditionemque concesserat. Sic ille Senatui speciem non potestatem, comitiis titulum, non libertatem reliquit.

Quas igitur prisca Oratorum vis pertractaverat, controversiae de bello indicendo, de pace statuenda, de republica contra hostes, vel inimicos patriae servanda, de legibus decernendis, de legionum imperio civibus largiundo, de vita clientium publicis causis in discrimen vocata, de municipiis, foederatorumque provinciis a Praetorum concussionibus rapinisque tuendis, de Senatorum in plebem ambitione continenda, coercendâque tribunorum licentiâ; postulationes denique de ambitu, de repetundis, de peculatu omnino fere eo tempore eloquentiae defuere. Et si aliqua orandi ratio accedebat, Senatu numquam nisi ad Caesaris nutum decernente, non frequentia populi, nec fori solemnitate amplius concitata, parum tuta ac quasi trepidans oratio claudicabat.

Privatae vero de haereditatibus, de rei familiaris substantiarumque negotiis controversiae, consumptis pene illis judicandi reipublicae formis, parum momenti ac nil dignum quod prisca Oratorum eloquentia celebraret, habebant.

Qui manebant etiam veteris temporum felicitatis testes, qui antiquam Tullii eloquentiam meminerant, quique ipsi Oratores cum Tullio fuerant nec publice, nec libere dicendi copiam habebant, dulcisque praeterea Augusti in omnes sibi quoque infestos modus ac indulgentia facillime cunctos obmutescere docuerant.

Qui vero novissimis temporibus nati rempublicam non viderant, a praecedentis eloquentiae exemplis desuescere, novamque et corruptam orandi rationem ediscere caeperunt.

Jamque ad aliud dissertationis meae caput progredi ipsa res hortatur, ut quaeram quaenam aliae caussae post Ciceronis obitum, post sublatum antiquae eloquentiae genus, novam dicendi artem corruperint ac in pejus ruere coegerint.

Jampridem et ipsa Ciceronis aetate nitentes eloquentiae fontes turbari, controversia inter plurimos illius temporis scriptores agitabatur. Asiaticam elumbatam, nimiumque periodicae uniformitatis structura confectam eloquentiam Ciceronis nonnulli conclamabant: hoc et Largius Calvus, hoc et Brutus ipse Tullio dilectissimus dictitabant, hoc et Asinius ille Pollio nimis Romanorum scriptorum gloriae invidens, qui et Sallustii Crispi antiquius scribendi studium, et Caesaris negligentiam, et Livii patavinitatem accusabat. Cicero autem Atticam Thuci-

dideamque (ut vocabant) inconcinnitatem, fractam minutamque aliquorum scriptorum formam accurate cavendum saepius in doctissimis suis de Oratoria arte operibus commonebat. Jam Moecenatis calamistros quis nescit, quis Augustum de molli ejus stylo ridentem, ac pene stultam Antonii loquentiam indignantem non recordatur?

Hoc jam aliquod in latino dicendi genere vitium et in ipsa Augusti aetate probabat, et imminentem corruptionem quasi vaticinium enunciare videbatur.

At quoties Asinium venustam Ciceronis numerosamque orationem incusantem reminiscor, valde dubito ne Augusti auctoritas, et gratia quam multi certissime vir ille faciebat, aliquam adversus Tullium malivolentiam in Asinii animo suscitaverint: putavit (nisi fallor) se multum Imperatori gratificaturum, si vehementem illam eloquentiam quae quondam rempublicam sustinuerat, et summam altissimi Oratoris, (quem Augusti ambitio necaverat) gloriam decusque censuris maledictisque imminuisset.

Atque hoc mihi in primis videtur ad eloquentiae corruptionem, cum viva Romani Oratoris vox audiri desierit, plurimum ponderis adjunxisse. Cum enim, Augusto imperante, Ciceronis eloquentia non ut prius admirari caepit, immo quasi alicujus suspicionis indicium praebens negligi ac vitari; vitium quo jam latina laborabat eloquentia citius dif-

fundi, et bonis exemplaribus omissis, omnium animos gustumque veluti contagium invadere ac deturpare visum est.

Ita sub Augusti successorum imperio, crescentibus semper malis, gliscens grassatur morbus: quod antecedentis gloriae superest in dies extinguitur, ac si aliquod in posterum, tempus humanitati mitius evenit, ac rara felicitas qua, ut Tacitus ait, « sentire quae velis et quae sentias dicere liceat » perbreve illud bonum continuo aliae Caesarum ferraee aetates trudunt, relliquiasque illas aliquando resurgentis Romanae eloquentiae funditus occidunt. Utque Oratorum qui post Tullii interitum fuerunt vitia notentur, videre est quod a Marco Seneca, et in Dialogo de Claris Oratoribus (cui Juxtus Lypsius nomen de corruptae eloquentiae caussis adjungere voluit) est traditum. Ac quidem morum corruptionem, juventutisque a literis abhorrentis otium et licentiam, frequentem Romam exterarum gentium concursum, civitatis jus non singulis quidem hominibus, sed et barbaris saepe provinciis provinciisque concessum, aliaque hujuscemodi, latini sermonis puritatem venustatemque eloquentiae foedavisse haud equidem est inficiandum.

At mihi rhetorum scolasticae institutiones, declamatorumque exercitia causa in primis fuisse videntur corruptionis maturandae. Cum enim vera eloquen-

tiae materies defuisset, cum optimorum scriptorum ac maxime Ciceronis exempla neglecta essent, quaenam apud rethores declamatoresque dicendi ratio, quae apta orationibus argumenta esse potuerunt? Pessimam sane Sophistarum luem et Roma tunc habuit, cum sese in illo eloquentiae genere exercendi, et quaque de re ex tempore dicendi Romanos furor, ut ita dicam, invasit. Quae argumenta talibus Oratoribus delecta essent, quod eloquentiae pondus, in libris quos suasoriarum controversiarumque Seneca Rhetor scripsit, ille cui hoc potius libeat videre poterit: me enim vosque maxime taedet ista repetere, et satis de statu et caussis corruptae Oratorum post Ciceronem eloquentiae dictum puto.

Praecipui nunc inter eos notandi sunt, et quamquam tacere potius de his vellem, tamen Porcii Latronis, (Ovidii Nasonis amici et magistri) Vibii Crispi, Marci Senecae nomina tantum dabo: nec multum certe interest cunctos nosse, et plurimi eorum in Marci Senecae opere et in dialogo de Claris Oratoribus recensentur. Nunc temporis summa brevis ad alia quaestionis capita violenter me pellit.

Si nunc vacuum eloquentiae genus, Oratoresque istos cum aliarum praecedentium aetatum Oratorum eloquentia conferemus, quid erit quod commendare poterimus? Ac mihi quidem Oratores Rhetoresque de quibus disserui (quamvis aevum eorum doctrinis

exemplisque post Augusti aetatem ditissimum sit) cum Oratoribus aetatis quae praecessit Graecorum literaria cum Latinis commercia conferenti, superius priscum illud eloquentiae tempus apparet, non quoad sapientiam certe (nondum enim tum Roma literaturam severioresque disciplinas didicerat) sed quoad dicendi vim, quae praeceptis minime traditur, naturalemque et ingenitam masculae illius Romanorum prolis in controversiis vehementiam.

Ac ne ullam historiae partem praeteream, trina distinguenda sunt Romanorum cum Graecis commercia, quae Latinarum legionum victorias secuta sunt. Primum initio sexti ab urbe condita saeculi cum provincias Italiae ad meridiem quae Magna Graecia vocabantur, Hellenicasque postea Siciliae colonias bello punico secundo armis subegere. Alterum cum Persei Macedonis Regis triumphum Paulus Æmilius egit, ad sexcentesimum octogesimum sextum ab urbe condita annum; et tum Panaetius Polibiusque Romam accessere. Tertium quum Carneades, Diogenes, Critolaus, legati Romam ab Atheniensibus missi sunt, sexto post Æmilii victoriam anno.

A Graecis equidem Italiae Siciliaeque coloniis, antequam *Orientali* Atticoque commercio frueretur, feram Romam culturam accepisse negari non potest. Et quamvis nondum etiam ob bella in alios extra Romam populos, civiliaque intus arma, Romani phi-

losophiae ac eloquentiae preceptis assidue vacare potuissent, nec ea praesertim studia curassent, veramque Oratoriae artis perfectionem post Atticae philosophiae agnitionem habuissent, tamen primum illud cum Graecis Siciliae, Italiaeque commercium haud parum utilitatis Romanis attulisse fatendum est.

Si igitur Romani oratores ante Graeciae literaria cum Latinis commercia quaerendi sunt, iique cum oratoribus post Ciceronis obitum conferendi, sane ante Graecos Italiae et Siciliae captos, ac postea ante Macedonicam victoriam, triumque philosophorum legationem repetenda videtur comparatio. Longa quidem historia est, sed fas mihi sit rerum summa sequi fastigia.

Eloquentia aetatis ante Graecorum Italiae et Siciliae litteraria cum Latinis commercia.

Si Romae aetatem quae Graecorum Italiae, Siciliaeque cum Latinis commercia praecessit intuemur, haud Oratorum sane elegantiam, nec eloquentiae artificia inveniemus. Sed postquam libertate adepta respublica crevit, armorum non minus potentia, quam verborum vi Romae necesse fuit. Tum ambitiosa fuerunt seditionum studia, tum frequens inter populum ac patricios, ut supra diximus, dissentio, tum denique armis periculisque compertum est, ingenium

plurimum posse, quum praecipue ad summos reipublicae gradus, dicendi praestantia viam tot inter discrimina pararet.

Illorum ergo temporum eloquentia non praeceptis ad certam legem perducta, needum artis lenociniis expolita, characterem quem spontaneum vocant, libertatisque inspirationem prae se fert: ac illi Atheniensium priscae eloquentiae adsimilari potest, quae res summas inter tot pericula, inter tot ardentissimi populi motus, agebat, quam nondum sophistae vanis locutionum artificiis deturpaverant.

Cum vero Romae jurisprudentia primis quoque temporibus supra alios etiam cultiores populos maximos progressus habuisset, eloquentiae subsidium sapientes illos legumlatores plurimum juvasse haud est dubitandum.

Deficiunt nobis quidem veteris aevi eloquentiae monumenta: tum enim Oratores vehementer loqui et agere potius quam orationes perscribere curabant. Ac orationes, quas ducum, tribunorum, consulum nomine Livius tradidit, ab eloquentissimo potius historiarum scriptore inventas esse ac compositas quam ab illis quos dixisse rati sumus, satis constat. Verumtamen simplex Menenii Agrippae apologus ingenuam quamdam eloquentiae formam praebere videtur; et quod Livius ait de *rustico illo et prisco more dicendi* quo fabulam, postquam in castra

intromissus exposuit, re ipsa veteris illius narrationis *originalitatem* confirmat.

Ætati de qua nuper loquutus sum altera illa successit quae Macedonicam victoriam Atticamque legationem praecedit. Jamque Roma quae haud rudis ut prius, praeceptis paullisper operam navare caeperat, spontaneae liberaeque eloqnentiae inspirationi quemdam artis cultum, munditiemque adjungere non despexit. Tum Sulpicius ille a Tullio collaudatus, tum Cethegus qui suaviloquens ab Ennio dictus est, aliique eximii dicendi artis cultores, virilem eloquentiae majestatem temporum dignitati virentiquae reipublicae potentiae convenientem secuti sunt.

Quantum inter harum aetatum illiusque quae Ciceroni successit Oratores interest? quae in illis prorumpens dicendi vis ac copia, quam frigida in his turgidaque ampullarum sexquipedaliumque verborum redundantia! Illi orationibus populum ad bella, ad tumultus concitabant, concitatum orationibus sedare poterant; de salute reipublicae, de natorum patrumque libertate certantes, vitam cum voce simul nonnumquam amittebant: eloquentiae denique vis in eorum manibus veluti ignis incendia fere caedesque miscebat. Hi contra scholarum non fori pulvere sordidi, declamatoria vanitate superbi, praeceptorum congerie divites (que nullam, nisi natura ac temporum influxus mentes impulerint, eloquentiam dare

queunt) *Agamennona ne filia ad placandam ponti asperitatem hostia occidat, Alexandrum ut Oceanum pertranseat* suadere conantur.

Restat ut eam Oratorum plebem cum illis qui ad auream latinae literaturae aetatem pertinent, eâdem qua cogor brevitate, conferam.

Postquam Graecia capta ferum victorem cepit, omnis Romam atticae culturae thesaurus translatus animos novâ sapientiâ, novarum doctrinarum stimulo ad gloriam cultissimae illius nationis aemulandam illexit. Ac plurimum apud Graecos publica eloquentia floruerat, quae a Solone, Pisistrato, Pericle, Phocione, Iperide, Lysia, Isocrate, voce, exemplis ad maximum decus perducta in Eschyne ob memorandum cum Demosthene certamen plus gloriae assecuta, summum sublimitatis ac potentiae apicem voce Demosthenis tetigit, supremumque cadentis libertatis suspirium una cum Oratoris vita, captivâ jam Graeciâ, fuit.

Haec omnia exempla romanorum pectora incendebant: nec philosophiae ardor minus incesserat, quae rethoricam, illa dicendi temporumque ratione fideliter comitabatur. Panaetius, Polybius jam prius, Carneades inde praecipue, et simul Critolaus et Diogenes philosophicas Romae disciplinas late diffuderant.

Fuere illa vero graecae eloquentiae documenta

apud romanos non ornamentum tantum sed reipublicae columen: armaque ipsa quae ad Graeciam contra Alexandrum tuendam nil plus valuerant, Romae veluti libertatis praesidium incrementumque auspicabantur. Hoc autem invictus ille severissimi Catonis animus formidaverat, ne quam extinctae graecorum libertatis caussam esse putabat, ea bellicum civium robur minuendo morum virilitatem corrumperet; Romaeque potentiam, patriâ cum religione penitus junctam, liberae nimium in Deos Graecae philosophorum scholae e fundamentis everterent. Fuit tamen et ille inter sui temporis oratores vehementissima etsi rudi eloquentia notissimus, fuit et Crassus ferventi dicendi arte perillustris, quamvis novae scientiae artificiis etiam infensus, nec eorum nomina magna sine admiratione a Tullio memorantur: qui in celebri de Claris oratoribus dialogo totius apud romanos eloquentiae historiam confecit, veramque temporum illorum hominumque cum dicendi arte convenientiam feliciter exposuit.

Nec illarum quae in precedentis aetatis eloquentia dominatae fuerant caussarum ulla huic aetati defuerat; immo etiam hanc majores caussae impulerant post reipublicae potentiam in dies crescentem, victâ jam Grecia ac illustribus ejus eloquentiae exemplaribus diligenter perspectis.

Vigebat etiam Senatus auctoritas, tribunorum

plebisque turbulentia nondum tacuerat; tumultuosa quidem in foro et apud Senatum publicarum, privatarumque caussarum agitatio: illo enim tempore, et apud Romanos tantum (nam Athaenis privata judiciorum eloquentia nil decoris, nil momenti, nec amplam oratori vehementer dicendi materiem ob reipublicae instituta praebebat) judiciorum quae de privatis negotiis decernebant, forma et eloquentia multum similes publicis caussis erant. Pax, bellum, triumphi, leges, faedera, proscriptiones, exercituum imperia, cuncta a Senatu statuebantur. De summis reipublicae muneribus comitia decernebant. Ergo omnis civium vis in eloquentia posita erat, eloquentiaeque cuncti summa alacritate studebant. Et si libertatis partem ea aetate Caesaris dictatura abripuit, serius hoc accidit, et Julius, ut supra vidimus, civium eloquentiam non coercuit.

In oratorum historia a Cicerone exposita, praeterquam quod celebriorum qui praecesserant oratorum laudes memorantur, Catonisque et Crassi, Scipionis et Laelii, Gracchorum, Galbae, Antonii eloquentia in caelum tollitur, ac fervidissima concionum ratio describitur, ad suum postea tempus scriptor descendens eloquentiae conditionem illa antiqua vehementia non amissa, ampliorem novisque ornamentis auctam ostendit. Unde quanta oratoriae disciplinae diligentia et studio incumberent aetatis illius Romani,

et ab opere ipso de Oratoribus, et ab aliis Tullii Rhetorices libris facile perspici potest. Haec autem cura, haec diligens verborum dispositio et ornamenta, nullum eloquentiae pondus in summis praesertim oratoribus, ut in Cicerone, auferebant. Atque hoc etiam Romanae eloquentiae peculiare mihi videtur, quod cum nascentem, crescentemque apud Graecos oratoriam artem sophistae deturpaverant, nec in Romanae eloquentiae exordio, nec in aureo latinitatis saeculo, solumque in posteriori aevo evenit. Idque virili Romanorum ingenio ac cultui maxime tribuendum existimo: viri enim fortissimi, nec molliter sicut Athenienses educti, ab omni nimium ornato redundantique artis studio abhorrebant. Ubi verum postea ea hominum gens et vita, isque reipublicae status desiere, eloquentia simul cum moribus, declamatorum, rhetorumque vitiis corrupta est.

Quid igitur nunc morae est ut facillime vitiosae hujus aetatis eloquentiam cum aurei aevi oratoribus conferamus, postquam nos jam cunctam temporum vim, studiorum rationem, artisque oratoriae progressus, statum, characterem, felicissimo Romanae literaturae saeculo explanavimus? Nemo sane quantum inter eos discriminis sit non videbit, nec solum nunc facile, verum etiam supervacaneum de utriusque aetatis oratoribus judicium videretur.

*

Cum autem jam de duorum praecedentium aevorum oratoribus, supra diximus, reliquum est ut inter eos praecipuos ultima quoque aetate recenseamus. Tres praesertim oratores aurei saeculi memorandos puto, Julium Caesarem, Hortensium Hortalum, Marcum Tullium Ciceronem, quia peculiaris unius cujusque artis oratoriae species est, totumque illud aevum eorum eloquentia complectitur.

At mihi de egregiis sane viris quorum opera perspecta nulli non sunt, de quibus tot in doctissimis libris criticae observationes, censurae, laudes continentur, asperrimum disserere videtur. Facilius enim accidit, ut communia dicantur, et postquam chartas a capite ad finem impleveris, nil aliud quam quod eruditissimi scriptores dixerunt, aut aliis verbis aut impudenti plagio repetatur.

Julius Caesar.

Quid enim de Caesare scribi potest quod enunciatum jamdiu non sit? Quis nescit Ciceronem de eo sententiam, quae inter oratores multa cum commendatione Julium ponit? Quis Cornelii Taciti severissimi hominum temporumque judicis notissima verba non meminerit queis « summus auctorum Divus Julius praedicatur? nec Quintiliani sententiam commemorare necesse foret, qui, si Julius foro artique Oratoriae operam unice dedisset, principem suae etatis ora-

torum fuisse confirmat? Cunctis certe cognita illa Caesaris cum Senophonte similitudo, qui historici, oratores, duces strennissimi fuere.

Si mihi aliquid adjungere fas est, peculiare Caesari in eloquentia hoc mihi videtur, quod plebem contra Cn. Pompei ambitionem, ambitiosior et ipse secutus, popularis eloquentiae specimen, illa sua indulgentia, misericordia, orandique facilitate praebet, cujus sententiae documentum habeo in oratione quae a Sallustio in Catilinarii belli historia refertur; eam enim orationem quin Caesar ipse dixerit, qui Crispi tempore vivebat, et cujus non nisi propria verba Sallustius retulisset, plerique doctissimi de Caesare scriptores dubitandum non putant.

Hortensius Hortalus.

Hortensio Hortalo quod vel aemulus Cicero scribit summam gloriam tribuit. Laudat enim illam in retinendis ac dividendis orationis partibus qua excelluit memoriam ac ordinem, in epilogis formandis dexteritatem. Negligentiam vero quamdam in eo notat, ac plus voluptatis audientibus quam legentibus, orationes ejus afferre concludit. Hortensium certe in hoc praecipue multum gloriae assecutum fuisse, nobilemque partem in Romae civili ac literaria historia habuisse a cunctis asseritur, quod certamen cum oratorum Principe sustinere potis fuisset.

De quo tandem eloquentiae flumine quid addere, ac vetus illud dietum non mereri « *in lucum ne ligna feras* » potero?

Quae de Cicerone antiqui recentesque Romanae literariae historiae, vel rhetoriees elementorum scriptores tradidere nemini abdita sunt. Quas controversias doctissimi viri de Demosthenis vel Ciceronis eloquentia praeferenda agitaverint, lippis et tonsoribus cognitum est — nec aliquem latet Quintiliani sententia quae probat « Tullium Platonis copiam, « Demosthenis vim, Isocratis jucunditatem complecti, nec pluvias aquas colligere sed vivo quasi e « gurgite fluere: et ille se profecisse putet cui Ci« cero valde placebit ». Et quod de salibus, commiseratione, et epilogis, quae Athenienses Oratores non habebant; ac quo respectu Ciceronem Demostheni, Demosthenem Ciceroni cedere, dixisset, cunctos qui in latinis literis mediocriter sint versati, ad verbum in memoria conditum habere dubio caret.

Quod in Cicerone praecipuum judicandum est jam supra satis dictum puto: virum illum eloquentiam totius sacculi complexum esse, nec ad inutilem voluptatem auribus adferendam, sed ad inimicos Romae deterrendos, ad Catilinae insidias propalandas, ad Verris rapinas pro Patria nostra insectandas.